



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 259. Vtrùm in Adamo ante peccatum darentur passiones appetitus sensitiui, pars inferior esset perfectè subiecta superiori , & appetitus sensitiuus esset perfectè subiectus rationi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

vitam animalem per infusionem animæ, & vitam spiritualement per infusionem gratiæ, vt pluribus alijs locis S. Augustinus docet. Suarius lib. 3. de opere sex dierum, cap. 17. num. 17. dicit, Augustinum per ea verba non negare Adam simul cum infusione animæ accepisse vitam spiritualement gratiæ, sed solum negare, quod acceperit vltimam perfectionem gratiæ conuenientis suo statui, quam tunc solum accepit, cum constitutus est in Paradiso.

31. Ad 4. concedo maiorem, & minorem, ac nego consequentiam. Ideo homo debuit prius constitui in statu gratiæ, quam in statu gloriæ, quia prius debuit gloriam mereri per actus exercitos in statu gratiæ, deinde gloriam consequi; sed non prius debuit mereri gratiam per actus exercitos in statu puræ nature, deinde gratiam consequi, imò repugnat, vt quis per actus exercitos in statu puræ nature mereatur gratiam supernaturalem, vel se ad illam disponat; ergo non prius tempore debuit constitui in statu puræ nature sine gratia, deinde constitui in statu gratiæ, sed debuit accipere gratiam in primo instanti creationis animæ.

32. Ad 5. Vt refert Suarius lib. 3. de opere sex dierum, cap. 19. Sotus lib. 1. de Natura, & Gratia cap. 5. docet Adamum in primo instanti accepisse gratiam, & iustitiam sine proprio motu voluntatis, quo se disposuerit ad gratiam. A fortiori id dicunt Alensis, Henricus, Capreolus, & alij, qui docent nec angelos in primo instanti creationis se disposuisse ad gratiam, vt refert Suarius lib. 5. de angelis, cap. 8. num. 3. At S. Thomas 1. par. quæst. 95. art. 1. ad 5. docet Adamum in primo instanti creationis se disposuisse ad gratiam sanctificantem per proprios actus. Deus igitur ita creauit Adam, vt in primo instanti per auxilia gratiæ ipsum efficaciter excitaret ad credendum, sperandum, & amandum Deum creatorem suum: Adam verò diuinæ excitationi liberè consentiens, credidit, sperauit, & amauit, & sic se disposuit ad gratiam sanctificantem, & virtutes infusas, quas in eodem instanti temporis, sed in posteriori signo nature accepit.

33. Hæc secunda sententia, quam sequitur Suarius loco citato, est multo probabilior. Probatur. Nam Adam creatus est in statu perfecto, ac adultus; ergo debuit illi dari cognitio propria adulti, ac gratia debuit dari vt datur adultis; sed gratia datur adultis dependenter à propria dispositione; ergo Adamo gratia debuit dari dependenter à propria dispositione. Confirmatur ex Augustino, & alijs Patribus, qui dicunt Adamum non solum fuisse creatum cum gratia, sed etiam cum cognitione, & amore actuali Dei. Bernardus etiam sermone de coena Domini dicit primum parentem fuisse factum domesticum Domini, eiusque cognitione, & amore ditatum. Athanasius orat. contra Idola dicit Deum creasse hominem, tribuendo ei suæ æternitatis intellectum, & cognitionem &c.

34. Dum opponitur, quod homo ad perfectè operandum indiget aliqua mora temporis &c. respondeo, quod homo ad perfectè operandum tunc indiget mora temporis, cum ipsemet debet per motum localem excitare phantasmata; sed primus homo fuit à Deo creatus in statu perfecto, & cum phantasmatis, & speciebus intelligibilibus excitatis; ergo statim potuit perfectè operari, & dependenter ab auxilijs gratiæ excitantis se dispo- nere ad gratiam sanctificantem.

QVAESTIO CCLIX.

*Vtram in Adamo ante peccatum darentur
passiones appetitus sensitivi, & pars infe-
rior esset perfectè subiecta superio-
riori, & appetitus sensitivus
esset perfectè subiectus
rationi?*

S. Tho. quæst. 95. art. 2.

1. **V**identur in Adamo non fuisse passiones appetitus sensitivi. Primo enim corpus Adami fuit impassibile: ergo etiam anima, ac proinde caruit passionibus appetitus sensitivi.

2. Secundo per virtutem moralem comprimuntur passiones appetitus sensitivi: sed in Adamo fuit perfecta virtus moralis: ergo.

3. Tertio videtur in Adamo ante peccatum pars inferior non fuisse perfectè subiecta superiori, & appetitus sensitivus non fuisse perfectè subiectus rationi. Adam enim non poterat impedire, ne proposito obiecto visibili, potentia visiva illud videret, ne proposito obiecto audibili, potentia auditiva illud audiret &c. ergo neque poterat impedire, ne proposito obiecto sensibili iucundo, puta cibo ad vescendum suavi, appetitus sensitivus illud appeteret; ergo appetitus sensitivus non erat perfectè subiectus rationi, ac voluntati. Probatur antecedentes. Ideo Adam non poterat impedire, ne proposito obiecto visibili, & audibili, potentia visiva, & auditiva illud videret, & audiret, quia potentia visiva, & auditiva sunt potentia necessaria, & naturales, quæ necessario feruntur in sua obiecta sufficienter proposta; sed etiam appetitus sensitivus est potentia necessaria, & naturalis; ergo.

4. Secundo Gen. 3. dicitur: *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit;* ergo aspectus pomi excitauit in muliere desiderium illius comedendi, quod desiderium præuenit consensum voluntatis: ergo appetitus sensitivus in muliere etiam ante peccatum non erat perfectè subiectus rationi.

5. Respondeo, quod vt docet S. Thomas hoc art. 2. quæst. 95. ex passionibus appetitus sen-

sensitui quadam ordinantur ad bonum, vt amor, & gaudium, quadam ad malum, vt timor, & dolor. Hoc supposito, S. Thomas ponit tres conclusiones.

6. Prima conclusio est: in Adamo ante peccatum non fuit timor, neque dolor, aut alia passio, quæ est de malo vt præsentis, vel imminente. Probat: nam ante peccatum, nullum malum aderat, vel imminerebat: sed dolor est de malo vt præsentis, timor est de malo vt imminente; ergo in Adamo ante peccatum non erat dolor, neque timor.

7. Secunda conclusio est: in Adamo ante peccatum non erat vlla passio, quæ versetur circa bonum vt non habitum, & tunc habendum, vt cupiditas æstuans, & affligens. Probat: nam Adam habebat omnia bona pro eo statu viatoris habenda: sed cupiditas æstuans est de bono vt non habito, ac tunc habendo: ergo.

8. Tertia conclusio est: in Adamo ante peccatum potuerunt esse passiones, quæ sunt de bono vt præsentis, puta amor, & gaudium, & quæ sunt de bono futuro vt suo tempore habendo, vt desiderium, & spes non affligens. Probat: nam poterat amare bona præsentia, ijsq. delectari: poterat etiã habere desiderium, & spem non affligentem bonorum futurorum, vt suo tempore habendorum, præsertim in statu termini.

9. Hæc doctrina desumpta est ex S. Augusti. 1. 10. de Ciuit. c. 10. vbi dicit. *Quis tandem absolute dici beatus potest, qui timore afficitur, vel dolore. Quid autem timere, vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, vbi nec mors metuebatur, nec vlla corporis mala valetudo, nec aberat quicquam, quod bona voluntas adipisceretur, nec meras, quod carnem, animamque hominis se liciter viuientis offenderet? Amor erat imperturbatus in Deum, atque inter se coniugum fida, & sincera societate viuientium, & ex hoc amore grande gaudium, non desistente quod amabatur ad fruendum. Erat delectatio tranquilla peccati, qua manente, nullum omnino aliunde malum, quod contristaret iruebat.*

10. Hoc supposito, queritur, vtrum in Adamo appetitus sensituius cum suis passionibus esset perfecte subiectus rationi, & pars inferior esset perfecte subiecta superiori?

11. Pro solutione quæstionis, supponendum est, quod homo physicè componitur ex carne, & spiritu, cum anima rationalis sit spiritus, & per carnem conuenit cum bestiis, per spiritum cum Angelis. Ratione carnis, qua conuenit cum bestiis, habet propensionem quamdam ad bonum corporale, & sensibile, in quod fertur per sensum, & appetitum sensituium, puta ad voluptatem sensibilem videndi, audiendi, odorandi, comedendi, bibendi &c. Ratione spiritus, in quo conuenit cum Angelis, habet propensionem ad bonum spirituale, & intelligibile, in quod fertur per intellectum, & voluntatem. Hinc oriuntur in nobis simplices inclinationes indeliberatæ ad contraria bona sensibilia, & intelligibilia, in quibus consistit

pugna quadam carnis cum spiritu, & appetitus sensitui cū ratione, & ex hac pugna oritur ingens bene agendi difficultas. E. G. proposito præcepto ieiunandi, homo per spiritum inclinatur ad honestatem ieiunandi, per carnem, & appetitum sensituium ad voluptatem comedendi, & in his contrariis inclinationibus consistit pugna, per quam caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt loquitur Apostolus ad Gal. 5. Quia verò in nobis inclinationes ista partis inferioris, & appetitus sensitui ad bona inhonesta contraria rationi sæpe præueniunt deliberationem rationis, & licet possimus illis non consentire, tamen non possumus illas, per imperium rationis, & voluntatis impedire, ideo in nobis pars inferior, & appetitus sensituius non est perfecte subiectus parti superiori, ac rationi.

12. His positis, queritur, vtrum in Adamo ante peccatum pars inferior esset perfecte subiecta superiori, caro esset perfecte subiecta spiritui, & appetitus sensituius esset perfecte subiectus rationi: & quia hæc perfecta subiectio consisteret in hoc, vt nulla simplex inclinatio ad bonum sensibile, vel contrarium honesto, præueniret deliberationem rationis, & vt posset à voluntate, & ratione impediri, queritur, vtrum in Adamo ante peccatum nulla talis inclinatio præueniret deliberationem, & imperium rationis, & vtrum Adam posset ad nutum omnes tales inclinationes impedire?

13. Pelagiani cõmuniter docuerunt Adamum eodem modo, ac nos, cum voluptatum cupiditatibus, omniumque sensuum libidinibus creatum fuisse. De videndi, & gustandi libidine Iulianus sic loquitur apud Augustinum lib. 1. operis imperfecti contra Iulianum. *Hanc autem voluptatem, & concupiscentiam ante peccatum in paradiso fuisse res illa declarat, qua ad delictum via per concupiscentiam fuit, qua cum pomi decore oculos incitasset, spem etiam incundi irritauit saporis.* Posuit etiam Iulianus in Adamo libidinem, & rebellionem carnis proprie dictam, ideoque S. Augustinus lib. 4. contra Iulianum illi exprobat; & non erubescis istum morbum, vel quod tu quamuis pudibundus fateris, istam libidinem introducere in paradysum, & tribuere coniugibus ante peccatum?

14. Aliqui Catholici dixerunt in Adamo ante peccatum non fuisse inclinationes indeliberatas ad bona sensibilia fuisse tamen innatum, & indeliberatum appetitum excellentiæ, & laudis, quoad intellectum, & voluntatem. Addunt alij amorem excellentiæ in natura integra, & perfecta intensissimum fuisse. Suarez lib. 1. de Gratia, cap. 25. num. 9. refert Ioannem Vincentium, qui in Relectione de Gratia Christi, quæst. 6. docuit ex obiectis spiritualibus in natura integra potuisse esse grauissimam tentationem superbiæ, quæ sola superaret omnes, quæ nunc sunt: & ex hoc principio infert, durante statu naturæ integræ, plures homines fuisse damnandos, quam

saluandos. Proportionaliter dicunt Angelos, ac præsertim supremum ex propria excellentia, & pulchritudine per quosdam motus indeliberatos abstractos, & illectos esse ad superbendum, & sic grauissimam tentationem passos esse, quam boni vicerunt, & cui mali succubuerunt. Scotus in 2. dist. 29. quæst. vnicâ dicit, quod in eo statu esset tranquillitas in anima, quia vel natura inferior non insurgeret contra superiorem, vel si insurgeret, posset facile, & delectabiliter à superiori contineri, & ordinari: ac videtur sub dubio relinquere, vtrum appetitus inferior esset perfectè subiectus superiori. Videri potest Suarius lib. 3. de opere 6. dierum cap. 12.

14. Dicendum: in Adamo, & in angelis ante peccatum nulla simplex inclinatio ad bonum sensibile, vel intelligibile contrarium, honesto præueniebat deliberationem, & imperium rationis, ac proindè angeli, & primi parentes in statu naturæ integræ poterant ad nutum omnes istas inclinationes impedire.

15. Probatur primò ex Scriptura. Primus locus est. Gen. 3. primi parentes ante peccatum nudi erant, & non confundebantur, postquam autè peccarunt, aperti sunt oculi amborum, cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizonata; sed non ex alia ratione ante peccatum non confundebantur de sua nuditate, nisi quia nullos in corpore experiebantur motus pudendos, & inobedientes rationi, post peccatum verò confusi sunt, quia tales motus expertis; ergo ante peccatum in corpore nalli erant motus pudendi, & præuenientes rationem, adeoque corpus erat perfectè subiectum, & obediens animæ; sed motus pudendi corporis inobedientes rationi oriuntur ex motibus appetitus sensitui inobedientibus rationi; ergo ante peccatum, neque in appetitu sensitiuo erant motus inobedientes rationi, adeoque appetitus sensitiuus erat perfectè subiectus, & obediens rationi, ac sine rationis imperio non mouebatur ad vllum obiectum sensibile contrarium honesto; sed ex eadem ratione voluntas non debuit moueri ad vllum obiectum etiam intelligibile contrarium honesto; ergo neque pars inferior neque voluntas mouebatur indeliberatè ad vllum obiectum sensibile, vel intelligibile contrarium honesto, ac proindè pars inferior erat perfectè subiecta parti superiori, & voluntas carebat omnibus motibus indeliberatis contrarijs rationi. Hoc argumento saepe vtitur S. Augustinus, ac præsertim lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione; c. 22. dicens: Placebant Deo, & placebat illis Deus, & quamuis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo aduersum se moueri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo iustitia, ut quia eorum anima famulum corpus à Deo Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, na illi corpus eius obediret, atque exhiberet vitæ illi cõgruum sine vlla resistentiâ famulatum. Hinc nudi erant, & non confundebantur. Et non multo post eodem cap. 22. Posteaquam est illa facta

transgressio, & anima inobediens à lege sui Domini auersa est, habere cepit contra eam seruus eius, hoc est corpus eius leges inobedienciæ, et puduit illos homines nuditatis suæ, animaduerso in se motu, quem ante non senserant, quæ animaduersio aperitio dicta est oculorum. Neque enim oculis clausis inter arbores oberrabant. Dicit hoc Augustinus, quia aliqui insipienter asseruerant, primos parentes ante peccatum fuisse cæcos & post peccatum, apertis oculis, vidisse suam nuditatem, & de illa confutos fecisse sibi perizonata, quæ stultum errorem S. Augustinus refert, & reijcit lib. 1. de nuptijs, & concup. c. 5. dicens. An forte, sicut quidam existimant, quia id, quod legunt, parum diligenter aduertunt, cæci creati erant prius homines, sicut canes, & quod est absurdus, non sicut canes crescendo, sed peccando, adepti sunt visum? Absit hoc credere.

16. Secundus locus est. Apostolus ad Roman. 7. concupiscentiam, ex qua oriuntur inclinationes indeliberatæ ad peccandum, vocat legem peccati, ac peccatum; sed ex Augustino, & ex Tridentino non ex alia ratione vocatur lex peccati, & peccatum, nisi quia ex peccato est, & ad peccandum inclinatur: ergo concupiscentia, ex qua oriuntur inclinationes indeliberatæ ad peccandum, est effectus peccati, adeoque non fuit in Adamo ante peccatum. Probatur minor, afferendo loca Augustini, & Tridentini. S. Augustinus lib. 1. de nuptijs, & concupif. cap. 23. dicit. Concupiscentiam vocari peccatum, & legem peccati, quod ex peccato facta est, & peccatum, si vicerit, facit: & lib. 2. operis imperfecti contra Iulianum dicit: Eam Apostolus peccati nomine appellat, quia & de primo peccato originem ducit, & quisquis eius motibus ad illicita consenserit, peccat. Trid. sess. 5. can. 2. dicit: Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & præcipuè in venæ peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccandum inclinatur. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.

17. Tertius locus est. Ecclesiast. 7. dicitur Deus fecit hominem rectum; sed si homo fuisset factus cum concupiscentia, qua per motus indeliberatos inclinaretur ad bona contraria, honesto, non fuisset rectus, sed curuus: ergo.

18. Probatur secundo auctoritate præsertim S. Augustini, ac S. Thomæ. S. Augustinus lib. 14. de ciuit. cap. 12. dicit: Hoc itaque tam leue præceptum ad obseruandum, tam breue ad memoria retinendum, ubi præsertim nondum voluntati cupiditas resistebat, quod de pena transgressionis postea subsecutum est; ergo ante peccatum cupiditas non resistebat voluntati. Et inferius eodem, lib. 14. cap. 19. loquens de libidine, & ira, seu concupiscibili, & irascibili, dicit. Hæ igitur partes in Paradiso ante peccatum vitiöse non erant. Non enim contra rectam voluntatem ad aliquid mouebantur. Lib. de Corrept. & Gratia cap. 11. Ille verò nulla tali rixa à se ipso aduersus seipsum tentatus, atque turbatus in illo beatitudinis, loco sua secum pace

A a a a

fruc.

fruebatur. Et cap. 12. *Nihil illi, hoc est voluntati ex se ipsa concupiscentialiter resistebat. Si in Adamo nulla erat rixa, ac voluntati eius nihil concupiscentialiter resistebat: ergo nullæ dabantur inclinationes indeliberatæ ad bonum sensibile, vel intelligibile contrarium honesto, ac proinde nec dabantur indeliberati motus, &c. alioquin iam data fuisset in Adamo rixa, & pugna, & in ipsa eius voluntate aliquid voluntati concupiscentialiter resistens. Idem docet pluribus aliis locis, & præsertim libris contra Iulianum, & libris de Civitate. Libro enim 3. contra Iulianum, cap. 11. dicit: *In natura hominis ante peccatum pacem decebat esse, non bellum: lib. 4. cap. 4. Quæ pugna boni, & mali nulla esset, si nemo peccasset: lib. 5. c. 5. inducit Adamum post peccatum semetipsum sic alloquētem: In tota anima, & toto corpore, conditorem habeo pacis Deum. Quis in me seminavit hoc bellum? & eodem lib. Absit ut illa pax animi, & corporis haberet aliquid, propter quod aduersus seipsam prima hominis natura repugnaret. Lib. 14. de Ciuit. cap. 26. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas: lib. 21. de Ciuit. cap. 15. Hoc autem bellum nullum esset, si natura humana per liberum arbitrium in relicitudine, in qua facta est, persistisset: ergo cum S. Augustinus constantissimè doceat in natura integra ante peccatum fuisse perfectam pacem, & tranquillitatem, ac nullum bellum intrinsecum, nullam rixam, ac pugnam, nulli erant motus indeliberati ad bonum contrarium honesto, qui motus præuenirent rationem, & consensum voluntatis. Ideo S. Thomas S. Augustini vestigiis insistens 1. par. quæst. 95. art. 2. quærens, utrum in primo homine fuerint animæ passiones, concludit. *Vnde passiones quandoque sunt in nobis præuenientes iudicium rationis, & impediētes, quandoque verò ex iudicio rationis consequentes, prout sensus appetens aequaliter rationi obedit. In statu verò innocentie inferior appetitus erat rationi totaliter subiectus. Vnde non erant in eo passiones anime, nisi ex rationis iudicio consequentes.***

19. Probatur tertio conclusio ratione desumpta ex principijs S. Augustini, & S. Thomæ. Ideo enim in Adamo ante peccatum nō dabantur motus carnis, & appetitus sensitiui præuenientis imperium rationis, & voluntatis, quia dum Adam habuit pacem cum Deo, debuit etiam habere pacem in seipso; sed ut haberet pacem in seipso, non debuerunt in eo esse vlli motus superbiæ, & vllæ inclinationes ad bona etiam intelligibilia contraria bono honesto: alioquin non habuisset in seipso, & in sua voluntate pacem, sed intestinum bellum: ergo &c. Rursus dum in Adamo ratio erat obediens Deo, nihil debuit dari inobediens, & non perfectè subiectum rationi; sed si habuisset motus superbiæ, & inclinationes ad bona intelligibilia contraria bono honesto, qui motus, & quæ inclinationes præuenirent rationem, iam habuisset in seipso aliquid inobediens, & non perfectè subiectum rationi: ergo,

20. Infertur primo à fortiori in angelis ante peccatum non fuisse vllōs motus superbiæ, neque vllas inclinationes ad bona intelligibilia contraria bono honesto, qui motus, & quæ inclinationes præuenirent imperium rationis, & voluntatis.

21. Infertur secundo Adamum, & angelos ante peccatum non habuisse alias tentationes, quam externas. Probatur, & explicatur. Tentationes aliæ sunt externæ, aliæ internæ. Tentationes externæ sunt, per quas quis ab alio proponente, & suadente incitatur ad transgressionem præcepti. Internæ sunt, per quas vnusquisque tentatur, & incitatur à concupiscentia sua, abstractus, & illectus ad transgressionem præcepti: ex. gr. potest quis tentari ad transgressionem ieiunij extrinsecus quidem ab aliquo aliud suadente, vt comedat carnes prohibitas, intrinsecus autem à concupiscentia sua, qua per motus indeliberatos appetit comedere carnes; sed angeli, & primi parentes ante peccatum non habuerunt vllōs motus indeliberatos superbiæ, vel concupiscentiæ, per quos inclinarentur ad transgressionem præcepti: ergo solum habuerunt tentationes externas. Et quidem angeli inferiores à supremo contra Dei honorem sollicitati sunt; supremus angelus fuit sibi ipsi prima causa peccati absque eo, quod antecederet ab vllō extrinsecus, vel per vllōs motus indeliberatos inclinaretur ad peccandum: Hæc tentata fuit à diabolo, hoc est à Lucifero per serpentem illi dicente Gen. 3. *Cur præcepit vobis Deus &c.* Adam tentatus fuit ab Heuæ, dante illi pomum, vt comederet. Dixi, quod angeli, & primi parentes ante peccatum non habuerunt vllōs motus indeliberatos, quibus incitarentur ad peccandum. Nam postquam ceperunt peccare, excitati sunt in ipsis motus vehementissimi ad peccatum consummandum, & perficiendum, vt magis explicabitur in resp. ad 2.

22. Ad 1. distingo antecedens: corpus Adam erat impassibile quantum ad passiones, quæ remouent dispositionem naturalem, concedo: quantum ad passiones non remouentes dispositionem naturalem, nego: & distingo consequens: ergo anima fuit impassibilis quantum ad passiones contrarias rationi, ac præuenientes, vel impediētes rationem, concedo: quantum ad passiones non contrarias rationi, & subsequentes imperium rationis, nego. Sicut corpus Adami ante peccatum erat impassibile passionibus mortis, ægritudinum &c. auferentibus naturalem dispositionem, sed poterat pati passionibus congruis, ac delectabilibus, & non auferentibus naturalem dispositionem, vt cum S. Thoma qu. 97. ar. 2. dicitur qu. 269. sic anima Adami erat impassibilis passionibus molestis, vel præuenientibus, aut impediētibus rationem, at poterat pati passionibus iucundis, consequentibus, ac non impediētibus rationem.

23. Ad 2. Virtus moralis passiones non omni

omnino aufert, neque impedit, sed illas ordinat. Temperati enim est concupiscere sicut oportet, & quæ oportet, ut dicitur 3. Ethic. c. 11

24. Ad 3. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia viuacitas sensuum, quæ consistit in hoc, ut proposito obiecto sensibili, sensus non possit illud non percipere, non est imperfectio contraria perfectioni status naturæ integræ, in quo debuit dari perfecta pax, & subiectio inferiorum respectu superiorum. At libido sentiendi, quæ per motus indeliberatos nos etiam repugnantes inclinat ad sentiendum appetitu voluptatis sensibilibus &c. est imperfectio contraria status naturæ integræ, in quo debuit esse perfecta pax, & subiectio inferiorum respectu superiorum. Eo enim ipso, quod datur hæc libido sentiendi, datur bellum intestinum, & inobedientia, ac rebellio quædam inferiorum respectu superiorum. Hæc responsio desumpta est ex S. Augustino lib. 4. cap. 14. contra Iulianum dicente, aliud esse viuacitatem sentiendi, quæ verum à falso in rebus corporalibus, magis, minusque discernimus, aliud sentiendi libidinem, quæ nos ad sentiendum etiam repugnantes appetitu carnalis voluptatis impellit. Viuacitas sentiendi fuit in natura integræ, libido sentiendi non fuit, cum statum illum dedeceret. Licet appetitus sensitivus sit potentia naturalis, quæ proposito obiecto sensibili, naturaliter ad illud inclinatur, tamen in statu naturæ integræ dono quodam supernaturali, quasi aureo quodam fræno fuit ita subiectus rationi, & voluntati, ut moveri non posset, nisi dependenter ab imperio, vel consensu rationis, & voluntatis, ut magis explicabitur quæ sequenti.

25. Ad 4. Heu postquam peccare cæperat, præbendo jaures, & fidem quamdam adhibendo suggestioni serpentis, sensit in se excitari libidinem videndi, & gustandi pomum, & ex hac libidine, & concupiscentia orta ex peccato inchoato, inclinata fuit ad peccatum consummandum; ergo non probatur in Heu fuisse motum concupiscentiæ, qui antecesserit omne peccatum, sed solum fuisse motum concupiscentiæ, qui secutus fuerit, & causatus ex peccato inchoato, ac præcesserit, & causauerit peccatum consummatum.

QVÆSTIO CCLX.

Virum iustitia originalis, qua in Adamo inferiora erant perfectè subiecta superioribus, fuerit donum supernaturale, & in quo consisteret?

1. Videtur iustitia originalis in Adamo non fuisse donum supernaturale, sed naturale: primo quia quod est debitum, naturæ innocenti non est donum supernaturale, sed naturale; sed iustitia originalis, qua inferiora essent perfectè subiecta superioribus, fuit debita naturæ innocenti; ergo &c. Pro-

batur minor: nam id, sine quo natura esset mala, inordinata, & monstrosa, est debitum naturæ innocenti; sed natura humana sine naturali integritate, qua appetitus esset perfectè subiectus rationi, esset mala, inordinata, & monstrosa; siquidem mala, inordinata, & monstrosa est natura, in qua caro sit rebellis spiritui, & appetitus sensitivus sit rebellis rationi; ergo &c.

2. Secundo non est supernaturale quod ex se non conducit ad finem supernaturalem videndi Deum, prout est in se; sed iustitia originalis, qua in homine inferiora sunt perfectè subiecta superioribus, potest non conducere ad finem supernaturalem, sed ad finem merè naturalem; ergo non est donum ex se supernaturale.

3. Tertio videtur non posse explicari, in quo consideret hæc iustitia originalis; ergo, &c.

4. Respondeo, quod ut refert Bellarminus lib. 1. de Gratia primi hominis, cap. 1. Lutherus in Comment. ad 3. cap. Genesios, docuit iustitiam originalem fuisse naturalem primo homini. Sic enim dicit. *Quare statuamus iustitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum à natura hominis, sed fuisse verè naturalem, ut natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum. Hæc tam naturalia fuerunt in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiunt.* Et infra. *Porro hæc probant originalem iustitiam esse de natura hominis; ea autem amissa, non integra mansisse naturalia, ut scholastici delirant.* Eandem doctrinam licet non ita clare insinuat Calvinus locis à Bellarmino allatis, eamque secuti sunt communiter Nouatores. Idem clarè docuit Michael Baius, cuius 27. propositio damnata à Pio V. & Gregorio XIII. est: *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humane exaltatio, sed naturalis eius conditio, & ut dicitur in Bulla, eam sententiam Baius repetit, & probat per plura capitula.*

5. Dicendum contra hunc errorem: iustitia originalis, qua in Adamo inferiora erant perfectè subiecta superioribus, non fuit proprietas naturaliter debita, sed donum gratiæ supernaturale, & indebitum.

6. Probatur primo auctoritate Patrum, & præsertim S. Augustini, qui lib. 4. contra Iulianum, cap. ultimo dicit: *Quid est gustato cibo prohibito, nuditas indicata, nisi peccato nudatum, quod gratia contegebat? Gratia quippe magna ibi erat, ubi terrenum, & animale corpus bestialem libidinem non habebat;* ergo ex S. Augustino subiectio, qua caro in Adamo non erat rebellis spiritui, non solum erat gratia, sed erat magna gratia: sed ex eadem ratione perfecta subiectio appetitus rationi, & partis inferioris superiori erat gratia; ergo talis subiectio non fuit naturalis, sed donum gratuitum. Testimonia aliorum Patrum, ac præsertim Basilij, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, Ambrosij, Hieronymi, Anselmi, Bernardi, videri possunt apud Bellarminum lib. 1. de Gratia primi hominis cap. 6.